

viro, naturali ordine pariat. Vid. Kromay. Theol. Posit. Polem. Art. III. de Christo, Auctio. II.

2.) *IMMANVEL non est ipse EI.*

Vtinam nemo inter eos ipsos, qui Christiani appellari volunt, hac parte cum modernis Iudæis conspiret! quale quid reperire est h. l. in Ioh. Lud. de Wolzogen Christi. Unterweisung / p. 69, 70, 55.

3.) *Filius DEI non est vere Filius hominis.*

Expressæ S. Scripturarum voci reclamarunt circa hoc mysterium Marcionitæ, cæterique, Docetæ dicti, qui non verum Corpus, sed externam hominis speciem, corporisque *phantasma* ac spectrum Christo imposuere, quos non male Tertull. *Imaginarios Christianos* appellat, atque hoc argumento obruit: *Si Christi caro phantastica, tum & omnia per carnem gesta sunt.* Alios commemo rare supersedemus, id tantum notantes, fuisse etiam inter Anabaptistas, qui ad hunc lapidem vehementer impegerunt; de quibus vide Systematicos Scriptores, & Polemicos, e nostris; E Reformatis, maxime Clari si mi nominis Theologum Fr. Burmannum, Synopsi Theologiæ, &c. Tom. poster. Lib. V. Cap. II X. §. 8. scq.

4.) *Fidelibus sub V. Fædere non fuit annunciatuS, ut verus summusque cum uno Patre DEVS.*

Diserte Smalcius, Præfat. Refutationis Franzii: *In deos V. Testamenti, inquit, ignorasse dogma Trinitatis, & Filii præexistentiam.* Cum quo consentanea dicunt reliqui. Vide ipsum Socinum, Libro suo forio, Cap. V. pag. 60. Ostorodium, Volkeliūm, alios.

5.) Vide, quæ contra Spinozam supra, num. 5). Po rism. ad finem prænotavimus.

II.